

hæc consuetudo ortum habuit à Concil. Arausic. I. sub Leone Papa I. celebrato. Consuetudinem hanc approbavit deinde Conc. Trident. sess. 23. c. 9. de Reform. & S. P. Innoc. XI. in celebri constitutione, quæ incipit. Speculatores, sed certis additis conditionibus. Et constitutionem hanc comprehendere etiam Cardinales Episcopos, ut nequeant familiares suos ordinare non servatis legibus ab ipsa præscriptis, refutato Moreno, probat Monacell. in Formular. tom. 3. pag. 331. num. 48. & sequent.

72 Plura vero concurrunt oportet, ut Episcopus ordinare valeat familiares suos triennales. I. Quod ordinet cum literis testimonialibus Episcopi originis, seu domicili. Idque additum fuit à dict. constitutione, & à Sac. Congreg. Concil. interp. in Loquedonien. seu Bitunina Ordinationis 16. Novem. 1709.

73 II. Quod triennium sit continuum, nec notabili aliquo spatio temporis interruptum; ut refutato pariter Moreno firmat Monacell. formular. pag. 232. n. 43. & seq. Sufficit vero, quod triennium sit inceptum ante promotionem ad Episcopatum, ut rejecto Lamperez probat Riganti in comment. Ad Regul. Cancellar. XXIV. §. 3. n. 14. & plur. sequent.

75 III. Quod familiaris toto triennio tempore manserit sub oculis, & præsentia Episcopi, illius obsequio, & servitio addictus. Quare si manserit extra diocesim, & civitatem, in qua Episcopus residet, quamvis expensis Episcopi, non poterit ab eo ad ordines promoveri, Monacel. eodem loco pag. 233. num. 57. ubi refutat Morenel, qui tenet familiarem non in ædibus episcopalibus, sed tantum intra diocesim Episcopi domini sui, aut licet extra diocesim, prope tamen ipsum manentem non prohiberi ad ordines ratione absentia promoveri. Cohabitatio vero in eodem palatio Episcopali non requiritur, ut reprobato Lamperez firmat Riganti ubi supra n. 151.

78 Nequit autem Episcopus, ut recte monet Auctor n. 36. nepotes, & consanguineos suos secum simul in eodem palatio, etsi per triennium habitantes, & ab ipso vicium recipientes, ordinare, nisi revera inserviant, ita ut sint familiares. De eo vero questio est, an Episcopus ordinare valeat familiarem triennem familiaris sui. Et affirmat Rigant eodem loco num. 163. & seq. dummodo subfamiliaris ille vivat expensis ipsius Episcopi, & sub eius oculis una cum familiari semper manserit.

80 IV. Quod conferat ordinato intra mensem à die factæ ordinationis beneficium sufficiens ad congruum sustentationem juxta taxam diocesis ejusdem Episcopi domini, & ea deficiente juxta morem regionis. Quod si beneficium sit tenue, nequit quod deest suppleri adjectione patrimonii, vel etiam pensionis, & quidem non obstante necessitate, vel utilitate ecclesie. Ceterum si Episcopus familiari, seu Clerico ante completum triennium familiaritatis beneficium sufficiens conferat, non prohibetur illum ulterioribus ordinibus insignire triennium nondum elapso. Hoc enim casu ordinatio non sequeretur ratione familiaritatis, sed beneficii; Riganti. loc. cit. num. 161.

82 Reliquum est, ut examinemus, an Episcopus sicuti potest ordinare familiarem suum triennem, ita impertiri ipsi possit literas dimissoriales, ut ab alio Episcopo ordinari valeat; Negat post alios Ferosin. in c. Quod translationem q. 5. n. 28. de tempor. ordin. At cum Auctore affirmat Riganti ubi supra n. 167. & plur. seq. idque quia si licet Episcopo quod plus est ordinare, licere debet quod minus est concedere dictas literas dimissoriales. (Vid. lit. A pag. 154. col. 2. n. 6.)

FAMULI, FAMULÆ.

SUMMARIUM.

Famuli, & Famule monialium nullum habent privilegium sumendi sacramenta, neque sepulturam habendi in ecclesia monialium; sed subjiciuntur parochio, sicut ceteri parochiani; qui tanquam parochiani considerantur, ad num. 3.

4. Quam obligationem in obsequio, suisque operibus domi-

no prestare famuli & famule debeant; quando exco-  
censentur, & que eidem permittuntur, ad num. 18.  
19. An possint judais, hereticis &c. famulari, ad S. P.  
26. Quæ retentiones permittuntur eis hisce facere, ad n. 28.  
29. De quibus rebus elemosinas facere.  
30. Nova addition. ex aliena manu, ad num. 36.

FAMULI, & Famule, quæ inserviunt monasteriis monialium quamvis exemptarum, nullum habent privilegium; sed sicuti ceteri alii parochiani tenentur adimplere præceptum paschale in ecclesia parochiali, & ibi sepeliri debent, si alibi non elegerint sepulturam, nec habeant proprium sepulcrum majorum; Ad proprium parochum spectat eisdem ministrare sacramenta, dum sint infirmi, & ad sepulcrum eosdem associare, non autem ad Confessarium monialium, ut respondit Sac. Congreg. Concil. in una Loqued. 24. April. 1685. & in alia Spole. 19. April. 1691. Inter famulas monialium, S. Mathæi Congregationis Lateranensis, quæ habitabant in domo extructa inter cortile, sive atrium monasterii, & parochum Sancti Martini, intra cujus parochie limites monasterium existit; & novissime in Ulisponen. occidentalis 19. Septem. 1722. Famuli Regularium, qui tantum ipsorum monasterii deservunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui comensales, & cum secularibus exteris extra monasteria habitant, subjacent quoad sacramenta, & sepulturam proprio parochio, sicuti ceteri alii parochiani. Vid. verb. Approbatio n. 69. & verb. Eucharist. n. 18. Famuli autem, qui sunt continui comensales in monasteriis Regularium degentes, subjacent omnino ipsis Regularibus quoad sacramenta, & sepulturam independentes ab Episcopis, & Parochis. Vid. verb. Approbatio d. num. 66. ad 68. & verb. Eucharist. num. 17.

Famuli, & famule tenentur suis dominis aliquomodo prestare ea, quæ filii parentibus, scilicet amorem, reverentiam, & obedientiam; sunt enim illi quasi loco parentum. Ex Communis cum S. Thom. 2. 2. q. 303. Reginald. l. 30. n. 62. Hinc sequitur graviter, & tenentur ad compensationem damni, si non laborant, & fideliter non serviunt juxta pacta conventa, & juxta conditionem, & qualitatem suæ servitutis; Lessius lib. 2. c. 24. & communis aliorum. Item graviter peccant, si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum impedire possint. Navarr. c. 4. n. 22. Reginald. loc. cit. & alii communiter. Etsi tale damnum inferatur (sive à confamilis, sive ab extraneis) in rebus, quarum cura est eis specialiter commissa, ultra quod graviter peccant, tenentur insuper ad restitutionem; Lessius c. 23. n. 75. Filliuc. tom. 37. n. 114. Molina, & alii passim. Item graviter peccant, si sine gravissima causa discedant à domino ante terminum elapsum. Communis. Item graviter peccant, si in rebus magni momenti non obediunt dominis. Communis. Item graviter peccant, esculenta, & poculenta domo asportando, aut vendendo, & licet hæc solum per pauca furta faciant magnam summam totalem, adhuc sub mortali tenentur ad restitutionem, unde merito Innocent. XI. 2. Mart. 1679. Inter alias damnavit sequentem propositionem 38. in ordine: "Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis." Excusantur tamen facilius, si ea domi consumant, cum in his domini sepe tantum sint invit quoad modum accipiendi clam, non quoad rem; dummodo tamen non sint extraordinaria, & magna quantitate, vel domini expresse ipsis prohibent ut talibus esculentis, & poculentis; Layman, Escobar cum Busemb. lib. 3. p. 1. traçt. 5. c. 1. dub. 4. n. 10. Less. loc. cit. n. 48. ubi docet, quod furta minima famulorum ex comestibilibus, quæ claudi non solent, non coalescant, si non ad avendendum, sed ad comedendum tantum accipiantur. Quomodo sententia Laymani, Escobati, Busemb. & Lessii sustineri possit post damnationem propositionis 38. inter damnatas ab Innocent. XI. prorsus ignoro. Scio Theologos etiam magni nominis in hæc esse sententia, ut si aliquando famuli comestibilia degustent, non statuit eos peccati esse damnandos. At vero, asse-

rere quod furta minima famulorum ex comestibilibus non coalescant, salvo meliori judicio, à nimia laxitate non excusantem.

(Postquam tit. 19. p. 4. de obligationibus inter patrem, & filium agitur, ad eas fit transitus, quas filii expositi, & à parentibus ejecti nutritionibus prestare tenentur, sic tit. seq. in cujus legibus demonstratur officium, quod in honore & reverentia versus eosdem consistit, nam summopere sunt astricti; quamvis in dict. tit. de famulis proprie sic nuncupatis nullum verbum adficiatur, multum facit ad rem lex 3. in quantum ad venerationem, & subjectionem dirigitur; haud nocuum præbet lex 5. tit. 21. ejusd. p. ubi demandatur, servum domino obedire teneri, commodum ejus curare, atque præjudicia, quæ eidem possunt obvenire, præcavere: idem cum uxore, & filiis: in omnibus auxiliari etiam vitam exponat; non discrepat lex 16. tit. 8. p. 7. De famulis hæc loquit etiam videtur, nam de servitibus, & servis est sermo; vide gloss. earum determinationem, & quæ de servo circa obsequia, & operas domino præstantes prædicantur seu referuntur ad famulos, dum sui corporis periculum desit, extendi animadvertens. Conducunt quæ in exordio addit. novis. hisp. lit. A pag. 147. col. 1. sunt inserta.

Ad quid teneantur domini, & famuli, tempus ad famulatium præfixum non adimpletes, Lex 8. tit. 4. lib. 4. For. Reg. ostendit; si per illum, ne impleatur, steterit, est integra rotius anni merces solvenda; si per famulum, eam amittit, eademque in domini favorem in penam duplicatur: quapropter servituri videtur, ne que famulum coactum esse in famulatium retinendum, neque dominum debere involuntarie illius uti servitio: bene hic in corroborationem forsan aptabitur ratio ob quam in societatis contractu vid. id. verb. Societas: specialitas ad ejus dissolutionem advertitur, nam re-nuente, et sic contradicente ex sociis aliquo, dissolvitur de-cernitur jus quoddam fraternitatis in simili datur contra-ctus; ideo nequit quis invit in communione retineri, utpote discordias excitari, quod præcavendum venit, est consequens; vid. leg. 11. & 14. tit. 10. p. 5.

Præter ea; uno casu dumtaxat excepto, lex 2. tit. 20. lib. 6. Recop. Castellæ (Regia in Scheda 6. Octobris an. 1768. §. 20. comprehensa, atque in instructionis implementum Judicium hispano sermone Alcaldes de Barrio expedita) idem fere determinat: datur in dicta lege & §. 20. instruct. distinctio inter casum, quo domini famulum dimiserit, vel se dimittat. In hoc, nisi venia domini intercedente, in eadem nec civitate, oppido, villa, aut pago, neque eorum suburbiis ab alio ad servitium pro mercede efficiendum poterit admitti: non denegatur, alteri cujusvis artificii ad exercitium, agrorum culturam aut laborem dedit posse, dummodo fraus seu dolus abfuerit, secus autem, viginti dierum spatium debet carceribus mancipari, ac annale patri exilium: eumdem famulum recipiens sex millium mape-pinetorum exactione plectetur; in illo id est dum domini dimisit, à quolibet potest recipi, domique ejus ad inserviendum ingredi, præcedente quoque dimittentis notitia: verumtamen si se dimittit servitor, pecunia extra debitam mercedem accepta, vel alia re qualibet, ad prosequendum in famulatu est compellendus: semper his ultimæ præscriptis presentibus, ad penas primo loco adnotatas aditus in contravenientes famulos, quocumque reperitur patefit. Consule de eorum observantia, nam in tam permittis exemplis, & casibus in hæc villa Matritensi occurrentibus, per me aliquis, in quo prædictæ decisiones vigorem retineantur, non est animadversus: dumtaxat domini, qui quemcumque in famulatium recipere intendunt, de ejus probitate, & motibus Inquisitiones efficiunt: numquam, etsi bonum testimonium, si bene moratus fuerit, præbere tenentur, aut secreto commoneat, si male, obsistunt.

Omnibus interdicitur, poculentis aut esculentis aliquid, ordeum, paleam, ligna, quidve simile ad usum domesticum accommodatum, seu ejus supelectilia à famulis, & inservientibus comparare: aliter in penam, qua furtum celantes puniuntur, incidunt; leg. 5. tit. 20.

lib. 6. Recop. Cast. Conducit lex 16. tit. 11. lib. 5. ejusd. vid. 9. tit. 10. lib. 3. For. Reg. etiamque leg. 25. tit. 20. p. 1. prope med.

Vix erit mihi excusabile crimen, si referre quæ per reg. Schedul. 16. Septemb. & 26. Octob. ann. 1784. disposita fuere, hic præmittitur: mercenariis, operariis, artificibus, seu famulis ut quantumvis merces, si-ve salarium satisfiat, utriusque est obiectum: ideo per primam, postquam necessitas demonstratur, omnes dilaciones in eorum solutione vitandi, decernitur judici ordinario, de hujusmodi causis cognitionem assumere, private competere, cujuscumque qualitatis fuerit reus, exceptis militiæ adscriptis, dum commilitones comitantur, aut alii muneri incumbunt: nam in casibus judex ordinarius competens non difjudicatur: & omnes debitores ex die factæ judicialis interpellationis sex pro centum regalibus usquequo integrum solvatur debitum, præbere tenentur: itaque à creditoribus similibus victoria litis reposita, in decursas quantitates ratione redditus prædicti condemnandi veniunt debitores; per secundam, cum nihil expresse circa famulos fuerit decisum, tria tantum regalia pro centum in similibus super salariis prosequutionibus fuerunt præscripta in ceteris non innovando.)

Famulus illicite cooperatur peccato domini per actiones, quæ per se, & proxime ad illud peccatum concurrunt; La Croix lib. 2. c. 253. Etiam peccat ponendo actiones de se, & secundum suum esse physicum indifferentes, quoties hic, & nunc sunt proxime ordinatæ ad peccatum, ut admoveat scalas, aut humeris sustentare volentem ascendere ad stuprandam virginem, vel ad occidendum hostem; Viva Supra propositioni 51. num. 4. ex damnatis ab Innoc. XI. La Croix loc. cit. num. 253. Etiam peccat mortaliter tales actiones multoties ponendo, nec potest à culpa excusari ob quemcumque metum; Viva loc. cit. n. 4. La Croix loc. cit. num. 254. & ratio est, quia actiones, seu operationes illæ positæ in illis circumstantiis videntur per se, & proxime tendere ad peccatum, unde sunt intrinsece malæ, nec possunt ex vlla causa cononestari. Hinc justissime Innocentius XI. 2. Mart. 1679. Inter alias damnavit sequentem propositionem 51. in ordine: "Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne domo male traçetur, ne torvis oculis aspicatur, ne domo expellatur." Item peccat famulus, qui scribit, vel ad alterum defert literas, aut nuntia directendentia ad peccatum, o. gr. ad fornicationem, vel duellum; ita Sanchez, Bonacina, Rebellus cum La Croix l. c. n. 273. Et ratio est, quia dicunt ipsi, hæc nuntia, & hæc literæ sunt intrinsece malæ, & sic sentit Viva loc. cit. n. 5. ubi cum Navarr. contra Sanchez lib. 1. c. 8. n. 12. docet peccare famulum comitando herum ad lupanar, & comitando concubinam ad domum heri. Immo Viva ib. n. 5. in fine nec subscribit sententiæ Sanchez loc. cit. num. 29. putantis quod sola ratio famulatus sufficit, ut licite possit famulus jussu heri deferre concubinæ manusculam, aut esculenta: cum enim hæc manusculæ, dicit ipse, foveant ignem tartareum, major causa videtur requiri ad reddendas licitas hujusmodi actiones. Si famulus dubitet, an literæ deferendæ contineant turpia, vel aliquid aliud intrinsece malum, licite potest eas deferre, quia famulus tenetur obedire, ubi non est peccatum, & in dubio stat præsumptio pro domino; Castropal. Rebell. & alii cum La Croix loc. cit. num. 273.

Famuli, & famule coacti laborare die festo, si non audent recusare, ex quo prudenter timeant se posse dominos suos ad gravem indignationem commovere, & inde sibi magna evenire incommoda, possunt aliquoties licite laborare. Quod si tamen frequenter contingit, eos deserere debent; Layman lib. 4. traçt. 7. cap. 4. num. 3. Illung. tom. 5. num. 177. La Croix lib. 3. p. 1. n. 595. Busemb. lib. 3. part. 1. traçt. 3. cap. 1. dub. 2. Suarez, & alii passim. Famuli, & famule excusantur ab audienda mis-



missa die festo, si ministerium quod præstant secundum communem estimationem, & vivendi modum sit necessarium, & non permittat audiri missam, ut domum custodire, greges educere, si pastores ovium & armentorum & similes non habeant alios, quos ad pecorum, aut domus custodiam relinquunt, nec possint diversis horis, & alternis vicibus omnes Sacro interesse;

19 *Communis.* Famuli, & famule nequeunt licite familiarum Judæis in propriis domibus; *cap. Judæi 5. cap. Ad hec 8. c. Nulli 19. de Judæis.* Licet tamen eis famulari extra proprias domos, v. gr. conduci ad operas, esse colonum, vel agricolam; ut patet experientia, hi enim proprie non sunt servi; ita Layman lib. 2. tract. 1. cap. 16. num. 1. La Croix lib. 2. num. 86. qui ibidem subjungit; Item licebit die sabbati eos adire, & illis coquere. At rectissime faciunt Ordinarii illi, qui hoc expresse vetant, ut sapientissime, & justissime fecit D. Albertus Mugiasca Episcopus Alexandrinus, & Inclitus Ordinis Prædicatorum Alumnus in suo edicto edito 30. Januarii 1686., ibi: «Comandiamo à tutti li Fedeli di Gesù Cristo consegnati alla nostra custodia? » osservanza di quanto dispongono li suddetti Concilii Provinciali, proibendo sotto pena dell' Interdeto personale dall' ingresso della Chiesa tanto agli Uomini, quanto alle Donne... P. andare il Venerdì alla messa, ed il Sabbato nelle case loro per accenderli il fuoco, scaldarli il letto, è fare altri esercizi villi, è di manifesta servitù. »

22 Non licet famulari hæreticis, si ob conversationem illam famuli, & famule sint in periculo proximo deficiendi à fide; sed tales tenentur statim discedere cum quocunque etiam incommodo, quia non licet permanere in proximo periculo peccandi. Unde Innocentius XI. die 2. Martii 1679. merito damnavit sequentes propositiones 62. in ordine; « Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit, & 63. in ordine: Licet sit est querere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi. » Nec etiam licet famulari hæreticis, si famuli, & famule impediuntur ab observatione præceptorum ecclesie, v. gr., quia debent negligere missam, laborare serviliter diebus festis, carnes comedere diebus vitis, & hujusmodi, nisi excuset notabile incommodum, ubi recte Navarr. Sanchez, Layman, Bonacina, & alii communiter cum Castropal. tit. 52. q. ult. n. 6. La Croix lib. 2. num. 103. Possunt tamen famuli licite famulari hæreticis, nec tenentur deserere ipsos dominos hæreticos, quando impediuntur ab observantia præceptorum ecclesie, v. gr. ab audiendo Sacro, & hujusmodi ex iusta causa, quia nempe occupantur in ministerio juxta communem estimationem, & vivendi modum necessario, ut si debeat educere, & custodire gregem, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per aliquot menses, & hujusmodi. Et ratio est, quia illa etiam apud dominos catholicos excusant ab auditione Sacri, & hujusmodi, uti fuit dictum supra num. 18. Sic Layman, Sa, Gobat. cum La Croix loc. cit. num. 105. Famuli tamen, & famule priusquam se obligent famulari hæreticis debent expresse pacisci, quod non impediuntur observare præcepta ecclesie, aliter se exponerent proximis periculis illa non observandi, & sic peccarent. *Communis.*

(Si bene perpenduntur textus in leg. 4. tit. 2. lib. 4. For. Reg. 2. tit. 3. lib. 3. Ord. Reg. 8. tit. 21. p. 4. cum glos. earum à D. Alfonso, Diaz de Montalvo, D. Didaco. Perez ac D. Gregor. Lopez: quæ ex num. 19. nunciusque recensentur, confirmationem ut in plurimum nanciscuntur. Ad rem lex 1. & 13. §. 4. lex 14. tit. 2. lib. 8. Recop. Cast.)

26 Famuli, & famule, quamvis judicent salarium suum esse nimis parvum, non possunt retinere pecuniam aliunde suis dominis debitam. Sic cum variis aliis Carden. in 2. Crit. dis. 23. à num. 66. La Croix lib. 1. part. 1. n. 97. Nec famuli, & famule sartorium licet judicent salarium suum esse nimis parvum, possunt retinere fragmenta panni, fila serica, & hujusmodi. Et idem

dicendum videtur de ipsismet sartoriis, seu magistris, si invitis illis, qui vestes constituunt, retineant ejusmodi reliquias; Sic Villalob. Diana, & alii: Lugo disp. 16. num. 83. & 85. cum La Croix loc. cit. n. 973. contra Sanchez, & alios. Non censentur autem inviti, nec solent ordinare talia fragmenta repetere illi, quibus vestes fractæ non reficiuntur. Quando autem famuli, & famule possint, vel non, uti occulta compensatione, vide verb. *Compensatio per tot.* ubi assignantur conditiones ad licitam compensationem requisita, & traditur etiam sequens propositio ordine 37. inter damnatas ab Innocent. XI. 2. Martii 1679. *Famuli, & famule domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Quando, & de quibus famuli, & famule possint facere eleemosynam, *Vid. verb. Eleemosyna.*

¶ Frequentes in foro sunt controversiæ Parochos inter & Regulares, circa administrationem sacramentorum famulis ipsorum Regularium, tum sepulturam eorumdem. Ceterum si agatur de famulis non particularis alicujus Religiosi, sed communis, & præterea adventibus, intra eorum septa, & domos residentibus, tum viventibus sub eorum obedientia, scilicet non religio, sed servili, possunt iis Regulares administrare sacramenta Eucharistiæ etiam tempore paschalis, ac Extreme Unctionis, nec non sepulturam dare, ut rescripsit S. Congregatio Concilii interpres in *Uratislavin. jurium parochialium 25. Januarii 1738.*

Patet hinc, Regulares à superioribus Ordinis tantum approbatos ad excipiendas confessiones, non posse Sacramentum Penitentiae administrare famulis communis tametsi haberentur mox dictas tres conditiones. Posse vero censet P. Gaudet à Janua de Visitat. tom. 2. cap. 7. dub. 17. reb. 4. num. 39. si induant præterea distinctum habitum à secularibus, ut sunt oblatis, Donati, Tertiarii: Immo addit, quod possint etiam eos absolvere à casibus, quos Episcopus sibi reservavit. Intellige vero semper de iis, qui communitati servitium præstant. ¶

FENESTRÆ. SUMMARIUM.

- 1 Nemo potest in muro alieno sine servitute fenestram construere, & aperire.
- 2 Hoc præcipue locum habet in ecclesia propter reverentiam illi debitam.
- 3 Unde S. Pius V. mandavit claudi omnes fenestras vicinarum, ex quibus haberi poterat prospectus in ecclesia.
- 4 Pro cuius S. Pontificis oraculi punctuali executione Sac. Congr. semper respondere solet, vel denegando facultatem fenestras aperiendi, vel mandando claudi illas que de facto aperte sunt.
- 5 Sic etiam respondit novissime in Lodiensi 7. Augusti 1705. & in Ulisiponen. 5. Marti. 1710. Et Sac. Congr. Visitationis Apostolica in Romana, Fenestra 25. Januarii 1717.
- 6 Affertur singulare decret. Sac. Congr. Episcop. in Avelliana indultis 5. Julii 1719.
- 7 Non sunt permittenda fenestra respicientes in monasteria monialium.
- 8 Nequidem à fenestris campanilis ecclesia vicine potest haberi prospectus in monasteria monialium, sed pleno muro tales fenestra debent obstrui.
- 9 Debent obstrui etiam fenestra illa, quæ sunt in monasterio monialium per quas videre possunt, & videri.
- 10 Nec debet permitti alicui ædificium tollere, si per illud haberetur prospectus in monasterium.
- 11 Immo sunt demolienda mansiones constructæ in vinculo intermedio, & claudendum est ambulatorium, quod à tecto imminet monasterio, etique prædominali, non obstante qualibet appellatione, vel ricorso.

- 12 Fenestra, & quævis alia foramina Regularium spectantia in hortum, vel clausuram monialium, omnino claudenda sunt.
- 13 Fenestra monialium tam alta debent esse, ut ad lumen tantummodo serviant.
- 14 Et quando aliunde nequeant lumen habere, fenestra, quæ respiciunt in publicas vias, debent tubis muniti, & ita aptari, ut per ipsas nequeant moniales videre, nec alloqui cum transeuntibus.
- 15 Nec tolerari debet, quod propter vicinitatem, & correspondentiam fenestrarum, moniales possint videre vicinos, vel videri.
- 16 Fenestra Communions interire non debent pro colloquutorii monialium.
- 17 Fenestra Regularium quomodo, & quando claudi debent, quando habent prospectum in vicinas ædes secularium, remissive.
- 18 Fenestrarum aperiendi quando locus sit in monasteriis monialium remissive.
- 19 Prohibetur monialibus sub gravibus panis usus telescopii, sive conspicii tubati longioris.

Nemo potest in muro alieno sine servitute fenestram construere, & aperire, l. Altius, Cod. de servit. ibi: In pariete vero tuo si fenestra fulcris vi, vel elam fecerit convincatur, sumptibus suis opus tollere, & integrum parietem restituere compellitur. (Consonat lex 2. tit. 31. ad rem 25. tit. 32. p. 3.) Hoc præcipue locum habet in ecclesia propter honestatem, & reverentiam illi debitam: (Vid. lit. E. pag. 106. in add. his. novis.) Clement. 1. de sentent. excom. ibi: Aut in eis factis fenestris, ibidemque Butrius in fine ubi quod temerarie agunt, qui constituunt hujusmodi fenestras, & in illis audiunt divina, Sabell. in reb. canon. c. 4. num. 119. Barbosa l. 1. Jur. eccles. univ. c. 11. num. 38. Pignatelli tom. 4. consulti. 129. num. 1. Unde S. Pius V. anno 1566. mandavit claudi omnes fenestras vicinarum, ex quibus haberi poterat prospectus in ecclesias, ut refert Tusch. de virit. l. 1. c. 11. num. 10. in cuius sequelam decret. suum edidit Card. Sabellus ejus Vicarius præcipiens omnibus has fenestras habentibus, quod deberent illas claudere, relatum à Quarenta in summa Bullar. verb. Reverentia divinorum. Pro cuius S. Pontificis oraculi punctuali executione Sac. Congr. Episcop. semper respondere solet, vel denegando facultatem fenestras aperiendi, vel mandando claudi illas, quæ de facto aperte fuerunt. Cuius Sac. Congr. multa decreta fuerunt, & sequuntur Pignatelli tom. 4. cons. 129. à num. 3. ad 9. Nicol. in Florul. verb. Fenestra num. 1. Pacichel. de ditantia cap. 6. membr. 4. num. 25. Barbosa. lib. 1. Jur. eccles. univers. c. 11. num. 28. Card. de Luca de servit. disc. 10. n. 2. Monacell. tom. 1. tit. 5. form. 8. n. 34. Ursaya tom. 4. part. 2. disc. 14. num. 40. & signanter in Nulsiis 11. Septemb. 1615. & in alia Nulsiis 5. Martii 1619. in Casertana 8. Junii 1646. in Casertina 14. Decemb. 1646. in Calven. 26. Septemb. 1652. in Veronen. 15. Junii 1655. in Alexanen. 14. Novemb. 1659. in Pisauriens. 3. Octobris 1692. Quem sane rigorem non sine bonorum laude nostris temporibus innoxabiliter ad praxim reduxit tam in Leodien. 7. Augusti 1705. quando (effecto punctualiter subsecuto) injunxit Nuntio Coloniensi clausuram fenestrae aperte in ecclesia Carmelitarum, quam in Ulisiponen. 5. Marti. 1710. nolens exaudire preces primariæ nobilitatis viri Comit. de Sousa pro simili gratia se exhibentis assignare capitale bismillium cruciatorum ecclesie, in qua prætendebat aperire fenestram; & novissime Sac. Congr. Visitationis Apostol. in Romana fenestra 25. Jan. 1717. ut refert Ursaya l. c. num. 95. qui ib. num. 46. refert sequens decret. Sac. Congr. Episcop. in Avellin. Indultis 5. Julii 1719. Ponente Card. Parnacciano, in qua licet ageretur de petitione nedum insignis beneficiis Antonia Spinolæ Principissæ Avellini, sed etiam patronæ ejusdem civitatis, ubi aderat ecclesia Patrum Dominicorum, qui eorum pariter humillimas preces porrigebant pro eadem gratia. Nihilominus dicta Sac. Congr. Episcop. gratiam restrinxit ad vitam solius oratoris.

tricus per hæc præcisa verba; Pro gratia quoad fenestram cum duplici cruce ferrea, & ad vitam oratoris tantum. Vide verb. Ecclesia art. 5. verb. Poeta, & verb. Prospectus.

Non sunt permittenda fenestrae respicientes in monasteria monialium, ut pluries declaravit Sac. Congr. Episcop. & signanter in Mediolan. 5. Marti. 1602. ibi: Non esse permittenda fenestras respicientes monasterium, & statim claudi debere ab Ordinario; & in Lycienis 58. Febr. 1605. in qua dixit, quod nullo modo debet esse prospectus in monasteria monialium, & in Portugal. 16. April. 1605. in qua statuit, quod nequidem à fenestris campanilis ecclesie vicini potest haberi prospectus in monasteria monialium, sed pleno muro tales fenestrae debent obstrui, ut in Aquil. 21. Jul. 1612. Debent obstrui etiam fenestrae illæ, quæ sunt in monasterio monialium, per quas videre possint, ac videri ut in Parmensi 28. Novemb. 1636. ibi: Doveri murare à muro pieno alcune aperture con gelosie fatte nella faccia della Chiesa, per le quali potevano vedere, ed esser vedute. Nec debet permitti alicui ædificium tollere, si per illud haberetur prospectus in monasterium; ut in Interamnensi 15. Maii 1612. & in Barenis 18. Febr. 1617. Immo sunt demolienda mansiones constructæ in vinculo intermedio, & claudendum est ambulatorium, quod à tecto imminet monasterio, etique prædominat, ut in Assiensis 11. Junii 1653. Non obstante qualibet appellatione, vel ricorso, ut in Conversanen. 8. Aug. ejusdem anni 1652. Fenestra; & quævis alia foramina Regularium spectantia in hortum, vel clausuram monialium omnino claudenda sunt; Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Avellin. 23. Decemb. 1603. & in Neapolitana 2. Decemb. 1636. Fenestrae monialium tam altae debent esse, ut ad lumen tantummodo serviant; Ead. Sac. Cong. in una Civitatis Castell. 12. Marti. 1601.

Et quando aliunde nequeant lumen habere fenestrae, quæ respiciunt in publicas vias, debent tubis muniti, & ita aptari, ut per ipsas nequeant moniales videre, nec alloqui cum transeuntibus; Ead. Sac. Congr. in Teanen. 16. Octob. 1615. ibi: « Quando le stanze de' » Monasterj, che hanno le fenestre in strada, possono » avere il lume altronde, le farete ad ogni modo murare, ma quando restassero cieche, ordinerete che » si mettano le trombe alle medesime fenestre, e si acco » concio di maniera, che non si possa ne vedere, nè » parlare con chi passa per la via. » Nec tolerari debet, quod propter vicinitatem, & correspondentiam fenestrarum moniales possint videre vicinos, vel videri; Ead. Sac. Congr. in Neocastren. 16. Aug. 1594. Fenestrae Communions interire non debent pro colloquutorii monialium, minusque confessionaria exceptis sacris functionibus solitis fieri ab Episcopis; Sac. Congr. Episcop. in encyclica Epistola sub die 30. Octobris & 3. Decemb. 1706. Fenestra Regularium quomodo, & quando claudi debent quando habent prospectum in vicinas ædes secularium; Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Camerinen. Fenestrarum 13. Augusti 1717. Ponente Card. Scrattembac, Vide Ursaya tom. 2. part. 2. 18. disc. 6. per totam. Fenestrarum aperiendi quando locus sit in monasteriis monialium; Sac. Congr. Episcop. in Neapolitana 14. Januarii 1711. Ponente Card. Corsino; Vide Ursaya tom. 2. part. 2. disc. 5. per totam. Prohibetur monialibus sub gravibus panis usus telescopii, sive conspicii tubati longioris; Sac. Congr. Episcop. in Anconitana 1. Octob. 1627.

¶ Nemini licet habere fenestras, ex quibus pateat aspectus in monasteria monialium, ut firmat Auctor num. 7. & sequent. Ceterum hac cum distinctione est procedendum. Si è conspectu antiquæ domus novum monasterium monialium sit constructum, non sunt statim claudenda fenestrae domus illius, aut repagula ipsius apponenda. Sed remedium est adhibendum ex parte sententis minus præjudicium. Idque summa ratione, quia nihil in hoc casu imputari potest domino antiquæ domus. Idem est, & quidem ex eadem ratione, si utrumque ædificium sit antiquum, sed ex innovatione aliqua facta à monialibus, è fenestris domus aspectus pateat in monasterium.



Sin autem è conspectu monasterii monialium domus antiqua sit elevata, vel nova sit constructa, ex cuius fenestris pateat in monasterium aspectus, non attempto majori, vel minori præjudicio, semper adhibendum est remedium ex parte domus. Quod procedit etiam si bona fide innovatio illa facta sit. Confer de his omnibus Rot. in Romana Fabrica super reservatis 13. Jan. 1714. & 5. Junii ejusdem anni, cor. bon. mem. Lana. ubi explicantur decisiones in Calaguriana Fabrica, 11. Febr. 1729. & 4. Junii 1731. cor. clar. mem. Milini. &

FERRAGOSTO.

Ferragosto etymologia his verbis explicatur à Bernino nella Istoria di tutte l' Eerie tom. 2. secul. 6. c. 13. fol. 138. sub Pelagio II. & ab Ursana in Miscellaneo Sacro Profano Canonico, & Civili, part. 2. lit. F. n. 19. "E' fama, che alla Catena di Brode per Divina virtù, con celeste simpatia si congiungesse quella di Nerone, con cui fu legato il medesimo S. Apostolo nel Carcere Mamertino, sotto il Campidoglio di Roma, & che di ambedue ne divenisse una, inanellata ed unite insieme senza applicazione di umana industria. E come che la collocazione di queste due reliquie, è la dedizione del loro Tempio successe appunto nel primo giorno di Agosto, volle il Pontefice S. Sisto, che regnava all' ora nel Pontificato Romano con miglior augurio rendere celebre quel giorno, è quel Mese con la memoria di un tanto successo, consecrandolo alle catene di S. Pietro, le quali si dissero li Ferri di Agosto, che tra noi, con più abbreviata, ma corrotta parola diciamo Ferragosto: E non senza gran mistero parve che volesse Dio abbattere il fasto di Augusto Imperatore con le catene, e ferri di S. Pietro, conciossiachè le Kalende di Agosto erano di già da prima dedicate dalla Gentilità alla felice ricordanza di quel Monarca, che in tal giorno era stato la prima volta dichiarato Console, aveva molti trionfi riportati, soggiogato l' Egitto, è terminata la lunga lillade delle civili discordie. Onde per pubblico decreto del Senato non più Sextilis fu denominato quel Mese, ma Augustus. (Alit tamen hujusce nominis etymon à Ferris Augustis, quæ ab antiquis Romanis ineunte sextili mense celebrabantur, placet desumere. \*)"

FESTA, FESTIVITATES.

SUMMARIUM.

- 1 Quæ nunc temporis sint festa de præcepto.
- 2 An Episcopi valeant dies festos indicare, ad num. 3.
- 4 Quid statutum in hodierna ecclesia disciplina circa electionem Sanctorum in patronos, ad num. 7.
- 8 An Princeps laicus possit instituire dies festos, & quæ sint hæc de re populorum officia ac jura, ad n. 11.
- 12 Festa de præcepto an sint ab omnibus, & quomodo observanda ac sanctificanda, ad num. 16.
- 17 Licentia laborandi ac vendendi diebus festis an semper & à quibus requirenda, ad num. 24.
- 25 An curia laicalis sese immiscere queat super diebus festis, & an possit impedire quin curia ecclesiastica procedat ad multas contra experientes opera servilia in diebus festis sine licentia, ad num. 27.
- 28 Quenam pane sint imponenda pro transgressione festorum, ad num. 30.
- 31 Si causa laborandi in die festo vere subsint, an teneatur Ordinarius licentiam dare, & an liceat un-

Inter festa de præcepto B. Mariæ Conceptionis ex decreto Summi Pontificis D. Clem. XI. postriediè nomas Decembris ann. 1708. connumerat Auctor: bene equidem si de præcepto ubique terrarum intelligatur: at verò in hispania jam antea IV. idus Novembris ann. 1644. à Sanctitate D. Innocent. XI. ut de præcepto celebraretur, fuit jussum (1).

(1) Vid. verb. Patroni Sancti late.

- quam pro illa aliquid accipere, ad num. 34.
- 35 Ad quos spectet, præter Episcopum, super observatione festorum dispensare.
- 36 Quid Concilium Tridentinum decernat circa dies festos, quos Episcopi observandos proponunt, ad num. 37.
- 38 An Prælati Regulares possint, cum aliquibus, super observatione festorum dispensare, ad num. 40.
- 41 Festa movilia in die Epiphaniæ à quo debeant publicari.
- 42 An Regulares dies festos in suis ecclesiis annuntiare prohibeantur, & an possint cogi ad eorum observantiam, ad num. 43.
- 44 Dies festus Titularis qua conditione monialibus celebrari permittatur.
- 45 An festivitas alicujus Sancti cum majori pompa celebrari debeat in ecclesia ejus nominis dicata.
- 46 An eadem die duo ecclesie vicina idem festum celebrare valeant.
- 47 An festum S. Antonii de Padua possit ipso solemnitate die celebrari tam à Patribus de corpore Observantia quam à PP. conventualibus, ad n. 48.
- 49 Quomodo, ubi opus sit, transferri debeant festa Annuntiationis B. M. V. S. Joseph, & S. Matthei, ad num. 54.
- 55 Quo tempore, à quo Pontifice, & quibus de causis institutum sit festum SS. Corporis Christi, ad n. 70.
- 71 Restorum aliquos notatur origo in ecclesia ad n. 76.
- 77 An possint celebrari festa de Sanctis veteris Testamenti.
- 78 Festum de patrono principali loci an sit præceptum omnino.
- 79 An mercatus fieri queat in diebus festis de præcepto.
- 80 Quoad peregrinos & advenas circa festa Lebor remittitur alibi.
- 81 Plurima afferuntur de hoc argumento, ad num. 115.
- 116 Et alia multa ad rem, ad num. 140.
- 141 Subneantur Additiones ex aliena manu, ad n. 155.

FESTA, quæ nunc sunt sub præcepto sunt sequentia: scilicet Dominice totius anni, Nativitas D. N. J. C. Circumcisio, Epiphania, Resurrectio cum duabus sequentibus, Ascensio, Pentecostes cum duabus sequentibus, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitas Corporis Christi, Inventio S. Crucis, Festivitates B. M. V. ut Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis (& Conceptionis ex decreto Clementis XI. edito 6. Decembris 1708. incipient. Commissi Nobis) & Dedicatio S. Michaelis Archangeli, Nativitas S. Joannis Baptistæ, festa SS. Petri, & Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, Sanctorum Philippi, & Jacobi, Sancti Bartholomæi, S. Matthei, Sanctorum Simonis, & Jude, & S. Matthei Apostolorum. Item festa S. Stephani Protomartyris, Sanctorum Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silvestri Papæ, S. Joseph Sponsi B. M. V. Sanctæ Annæ Matris B. M. V. & Omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus patronis in quocumque regno, sive provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi & venerari contigerit Urban. VIII. constituit. incip. Universa §. 2.

Episcopi licet de jure communi in o. 1. dist. 3. de 2 consec. & in c. Conquestus, de feris, valeant in propria diocesi vocato Clero, & populo dies festos indicare; Barbos. de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 105. n. 36. cum multis ibi citatis; Pignatelli. tom. 4. consulu. 184. Hodie tamen, quamvis talis potestas non sit ablata, nihilominus ab indictione sub præcepto novorum festorum debent abstinere, prout illos movit Ur-

Urbanus VIII. in cit. constituit. incipient. Universa §. 3. ibi: "Ne autem dies festos à locorum Ordinariis nimia valguorum facilitate, aut populorum importunitate indeinceps iterum multiplicari contingat, iidem Ordinarii in Domino moneantur, ut ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere." Hinc promissiones, & vota, quæ frequenter fieri solent ab Universitatibus servandi sub præcepto festum alicujus Sancti, ac jejunandi in vigilia, non obligant populum, qui tamen potest sponte promissa servare, & nullus est pænis cogendus, ut illa die abstineat ab operibus servilibus: Barbos. in Collect. decr. Apostolicar. verb. Festum in communi num. 8. ubi affert decretum Sacr. Congreg. Rit. in Brundisina Marriage 21. Augusti 1604. Monacell. part. 2. tit. 13. formul. 1. num. 15. ubi testatur se vidisse plures supplices libellos hac in re Sacræ Congregationi Rit. prorectos pro confirmatione hujusmodi promissionum, & votorum, fuisse rejectos, & præcise in Urbesiana 6. Octob. 1696. in Missanen. loci Milani 25. Januar. & in Altsanen. Terræ Corani 6. Septembris 1698.

Hic juvat afferre decretum super electione Sanctorum in patronos à Sacr. Rit. Congregatione de ordine S. D. N. Urbani VIII. emanatum die 25. Mart. 1630. "Sacra Ritum Congregatio annuente Sanctissimo D. N. in electione patronorum mandavit infrascripta posterum servari debere, declarans quod aliter facta electio nulla sit ipso Jure."

- I. Quod eligi possint in patronos ii solum qui ab ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatorum & duntaxat.
  - II. Quod de patrono civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia à populo mediante consilio generali illius civitatis, vel loci, non autem ab officialibus solum, & quod accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius loci. Idemque servari debeat in patrono regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à populo singularum civitatum provinciarum. Et quod Representantibus regnum civitatem, vel provinciam nulla competat facultas eligendi patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi, & Cleri dicarum civitatum.
  - III. Quod cause electionis novorum patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita ab eadem Congregatione approbati & confirmari.
- Et ne premissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, eadem Sacra Ritum Congregatio supradictum decretum imprimi, & publicari mandavit.

Hoc decretum licet irritet electiones postea factas, non irritat tamen electiones patronorum jam antea celebratas, ut respondit Sacra Rit. Congreg. in Trojanensi Patronatus 15. Junii 1633. & in Pampilonensi Patronatus S. Francisci Xaverii, in qua fuit approbata electio facta in comitis regni Navarræ; Quæ resolutio tamquam juridica fuit per Rotam, proponente Reverendis. Decano, approbata, considerato solum quod ad evitandum præjudicium electionis antiquissimæ S. Firmini debeat uterque tamquam patronus coli, quod certo præsupponit validitatem electionis. Et in Neapolitana Patronatus ejusdem S. Francisci sub die 15. Septembris 1656. & in terminis electionis patroni, qui ab ecclesia universalis titulo Sancti non colebatur, post dictum decretum fuit observatum in admissione Beati pro tunc & nunc Sancti Jacobi de Marchia, cujus electio an. 1620. atque adeo ante decretum editum celebrata fuit, & deinde anno 1647. admissa, & solemnè repositio statuæ in

Thesaurum Neapolitanum comprobata. Quoad electiones ex post factas, & faciendas, est in viridi observantia, nam recurrentibus Universitatibus ab Sacram Congreg. Rit. pro approbatione electionis in patronum alicujus Sancti, si præcis dictis requisitis sunt destituta, Ferrar. Bibliothec. Tom. III.

rescribi solent: Doceant de servato decreto Urbani VIII. prout non semel se vidisse testatur Monacell. part. 2. tit. 16. formul. 10. num. 11. vel pro concessione servata forma decreti Urbani VIII. Aliis vero Universitatibus, quæ in electione requisita talis decreti observarunt, & locus non est celebris nota, conceditur approbatio cum clausula: Danno alium principalem patronum, seu protectorem non habent, & in una Mazarien. 30. Mart. 1698. pro Universitatibus Carri Veterani, & in alia Lucensi 11. Julii 1699. pro Universitate Terræ Moneroni. Unde hic est advertendum, quod in hujusmodi patronorum electione fieri non debent promissiones servandi diem festum patroni electi, tamquam de præcepto, etiam ab ecclesia universali sub tali ritu, non colatur, nam has promissiones, & vota Sacra Congregatio non admittit, nec approbat, sed rejicit, & tantum ex devotione servari posse concedit, ut respondit in Theatina 15. Mart. 1694. pro Clero, & Populo nonnullorum oppidorum, & sæpe alibi ut patet supra num. 3.

Nullus princeps laicus, & nulla potestas secularis potest instituire, vel indicare dies festos, seu præcipere observationem alicujus diei Festi, Sic expresse declaravit Innocentius X. 6. Octobris 1653. per suas litteras in forma Brevis, ut sequitur.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM nuper ad notitiam nostram non sine gravi animi nostri molestia pervenerit, quod dilecti Filii Senatus Mediolani per litteras datas die 20. Junii proxime præteriti, & dilectus Filius nobilis vir moderatus Gubernator Status Mediolani, per edictum publicatum die 30. ejusdem mensis Junii mandaverint observari diem festum S. Dominici die 4. mensis Augusti cujuslibet anni in toto illo statu, præcipientes, ut populi, & subditi illius status abstinere ab operibus servilibus, & artificibus tabernis, & apothecis clausas teneant, prout servatur ceteris diebus festis ex præcepto, & ulterius in edicto prædicto exprimitur, festivitatem esse celebrandam cum omni devotione, ac pietate Christiana; Nos, quibus universalis ecclesie regimen à Domino commissum est, considerantes quàm perniciosum auctoritati ecclesie id esse possit, cum principes laici, quos in rebus ecclesiæ obsequendi potius manet necessitas, quam auctoritas imperandi, non habeant facultatem imperandi dies festos in honorem Sanctorum, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum, quibus hoc negotium discutiendum commisimus, consilio prædictas litteras, & edictum emanata auctoritate laicali super observatione prædictæ Festivitatis S. Dominici, fuisse, & esse omnino nullas nulliusque roboris, & momenti, nec aliquo modo servanda apostolica auctoritate tenore presentium declinamus. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus &c. non obstantibus quibuscumque: Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 6. Octobris 1653. Pontificatus nostri anno decimo.

Festum novum non potest cogi populum servare, nisi sit indictum ab ecclesia, & si novum institui petatur supplicet populus; Sacr. Congreg. Rit. in Placent. 20. April. 1602. Festa nova de præcepto servanda non possunt institui invito populo; Sacr. Congreg. Rit. in Brundisina 2. Mart. 1602. & in Hispanens. 21. Augusti 1604. Festa Sanctorum, quæ de præcepto non servantur, si populus sponte voluerit observare, non est